



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Arreptitii, Seu Energumeni.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10421**

Decimò, altaria, quæ interdum sunt in quibusdam capellis per agros, aut per vias, debent everti per Episcopos. Conc. Carthag. V. cap. 14. ita auctor Conc. Sum, & hoc nota pro visitationibus.

### ARREPTITII, SEU ENERGUMENI.

Primò, quib. ex causis homo fiat arreptitius, id est, possideatur à dæmone, quoad corpus, vide Sylvest. in *tractatu de strig. lib. 2. cap. 2. puncto 5.* ubi enumerat quinque causas; primò pro suo merito, sicut de Severo in vita B. Martini habetur, secundò pro levi & aliena culpa, tertio pro peccato veniali ipsius, quartò pro peccato gravi alieno, quintò pro peccato graviproprio, & sic non est verum, quod vulgo dicitur, quod semper propter peccatum mortale quis arripiatur à dæmone, Sot. 4. sent. dist. 6. q. 2. art. 2. D. Thom. 3. p. q. 49. art. 2. ad secundum argum. Gabriel 2. sent. dist. 8. q. 2. art. 1. Doct. expositores super c. 12. 2. Corinthiorum, super illa verba, *Angelus Satana qui me colaphizat. tract. de fuisse demonum, c. 11.*

Secundò, cur interdum non liberentur? septem causas enumerat idem Sylvest. c. 11. puncto 3. Prima, circumstantium fides exigua; secunda, peccatum sustinentis maleficium; tertia, negligentia exhibentium remedia; quarta, exorcistæ in fide vitium; quinta, ut virtus notificetur in alio, quàm in exorcista, sexta, purgatio eorum qui patiuntur; septima, ob ritum in Baptismate non bene in totum observatum.

Tertio, cur fœminæ potius arripiantur, quàm mares, vide eund. c. 5. puncto 1. ubi assignat quinque rationes. Alphons. de Cast. lib. 1. c. 16. de just. heret. puncto.

Quartò, cur potius arripiantur virgines, puellæ simplices, videto Laur. Anan. tract. de nat. dam. lib. 4. fol. 201. D. Thom. in q. de potentia, q. 6. art. 10. ad 4. S. August. lib. 11. de civ. Dei.

Quintò, arreptitii non sunt verberandi, nec fumo, sulphure, aut alapis vexandi, cum exorcizantur, quia hæc dæmon parum curat, & pauperimus obsessus sentit solum dolorem, Syman. de cath. instit. ut. 63. num. 32. nec quibusdam herbis, seu musicis vexandi vel dulciendi. Navar. cap. 11. num. 38. notab. 31. sed Flagellum dæmonum c. 3. dicit quod sic, & refert Josephum lib. 8. antiquitatum, & licet aliqui possint expellere dæmonem rebus sensibilibus, tamen non sine exorcismis Ecclesiæ, idem ibidem ex mente & ex censura sanctissimæ Inquisitionis, quia multi possunt expellere dæmones arte magica, id est, per pacta cum dæmone tacita, vel expressa, ut homines in errore teneat. Bar. Sibilla spec. p. 9. q. 2. c. 8. 3. decis.

Sextò, optimum remedium in exorcizandis est, primò bona vita exorcistæ, secundò, confessio, & communio ipsius obsessi, jejunium, oratio, & eleemosyna. exorcismus fiat in loco sacro, cum paucis circumstantibus sine curiositate, & hæc omnia sunt notanda pro practica quotidiana, & multa reperiuntur in sacra Scriptura.

Septimò pro exorcismo habeantur Sacer-

Sacerdotale, Flagellum dæmonum, Fustis dæmonum, & alii libri de hujusmodi materia tractantes, modò sint approbati ab Ecclesia. imò circa hoc potest Episcopus multa limitare, & ordinare, ut exorcismi fiant per personas approbatas, Nav. *conf. 6. de offi. deleg.*

Octavò, vexatio hominis à dæmone potius in plenilunio, & observationibus stellarum solet evenire, quam aliàs. D. Thom. *p. 1. q. 115. art. 5. ad secundum argum. vide tract. de Fuste dæmonum, cap. 18.*

Nonò, ex vexatione, molestia, & maleficio potius dæmon cruciatur, quàm aliquid boni, vel quietis percipiat, licet ille dicat oppositum, ad deludendum ignorantes, vel sacerdotes exorcizantes, Malle. *malef. q. 18. f. 131. ratio est; quia fert secum pœnas, sicut leprâ leprosus.*

Decimò, decipiuntur etiam aliqui credentes quòd sint animæ defunctorum, quòd illi falsò astruunt, & nominant; sed revera sunt dæmones, & illi qui destinati erant particulariter ad tentandum illum mortuum, cujus animam ipse obsessus, sive dæmon fingit esse. Bart. Sibilla *in tract. pere.* sicut enim cuilibet homini datur unus Angelus ad custodiam, ita adest unus dæmon ad tentationem, ut patet ex Doctor. vulgatis. vide *tract. de Fuste dæmonum c. 3. & c. 4. & c. 1. juxta finem.* Sibilla *loc. cit. q. 6. c. 3. decis.*

Undecimò, cum dicitur dæmonem intrare cor, vel corpus alicujus, non credas intrare in animam, quia hoc solùm potest Deus. Sibil. *loc. cit. q. 4.* D. Aug. *de Eccles. dog. c. 50.* ita cum dicitur intrare corpus, non intelligitur, quòd intret in

partem aliquam vitalem, sed in humores, vel excrementa, idem Sibil. *loc. cit. quest. 2.*

## APOSTATA.

PRimò, apostata triplex, à fide, ab ordine, & à religione, vide Sylvest. *in ver. apostata.* sed primò à fide, qui & renegati vocantur, quomodo possint absolvi, vide *inferius, in ver. casus, in quib. & c. in ver. apostata, & in ver. renegati.*

Secundò, apostata à religione quomodo audiatur, vide *in ver. professio & Bullam Sixti V. in apostatas tam activè, quàm passivè, & est excommunicatus, cap. 2. ne cler. vel monach. lib. 6. Abb. in c. consultationi. n. 2. de apost. & in c. 1. n. 2. & 3.*

Tertiò, an sit habilis ad beneficia obtinenda. Vide Rebuf. *pract. ben. tit. de dispens. cum reg. sac. n. 43. & infra,* adde quòd etiam invenitur apostasia perfidia, *const. regni. exordies, apostatantes, de apostat. ubi optimè Iser. loquitur de apostasia inobedientiæ.*

Quartò, apostatarum pœnas, vide *in Bull. Paul. III. quest. 29.* ubi postquam moniti fuerint receptatores eorum ab ordinariis, sub quibus moram trahunt, & non destiterint, sunt excommunicati ipso jure, & si jus fuerit patronatus, patroni privantur jure presentandi pro illa vice, nec possunt transire ad parem, vel actiorem religionem.

## B O N A.

PRimò, Bona census, jurisdictiones, redditus, fructus, de quibus fit mentio *sess. 22. c. 11. Concil. Trident. contra*

F

occu-